

de Belexiis iudice, Pagano Baudizono de Bestagno iudice, Manuello Lanzaveg, & de Prato testibus ad hæc specialiter vocatis, & rogatis.

Ego Boninus Moscardus Notarius Palatinus prædictis interfui, & rogatus hanc cartam mihi iussam scripsi.

*Concessio Parochialis Ecclesie S. Stephani Alex.
facta fratribus Servis B. M. V.*

ab Archid., & Capit.

256

MCCXXXV.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCLXXXV., indictione VIII., die Jovis VII. mensis julii in Ecclesia sancti Stephani de Borgolio. Cum Parochiani ipsius Ecclesie sancti Stephani majori Ecclesie Alexandriae immediate subditæ humiliter postularent, & instanter peterent, & devote requirerent a D. Archidiacono, & capitulo Ecclesie prædictæ Alexandriae, quatenus intuitu pietatis, & observantiam Dei, & Beatæ Mariæ Virginis concedere dignarentur ad habitandum, & standum fratribus Servis Beatæ Mariæ Ordinis sancti Augustini Ecclesiam prædictam sancti Stephani cum sediminibus, & ædificiis ipsius Ecclesie cum possessionibus, juribus, & pertinentiis ejusdem Ecclesie, & ad faciendum ibi conventum de fratribus ejusdem ordinis, & ad serviendum eidem Ecclesie, & Parochiæ, & viciniæ, & ad faciendum in ipsa Ecclesia omnia servitia facta, & negotia, quæ expedierint, & consueta sunt fieri per Rectores, & Clericos ejusdem Ecclesie capitulo, & Ecclesie Alexandrinæ salva disciplina sui ordinis. Ecce quod D. Ascherius Archidiaconus Alexandriae de voluntate, & consensu fratrum suorum DD. Rufini Archipresbiteri, Ottonis Præpositi, Bertholini de Puteo, Joannis Merlani, Jacobini Guaschi, Girardi de Puteo, Rufini de Rogeriis, & Oberti Lanzavegiæ, Canonorum sanctæ majoris Ecclesie, & ipsi Canonici voluntate, & consensu dicti D. Archidiaconi, & una cum eo eorum nomine, & nomine, ac vice totius capituli, & Ecclesie majoris prædictæ Parochianorum prædictorum precibus, & postulationibus inclinati attendentes, & considerantes, quod in eadem Ecclesia divinum Officium crescebat, & augmentabatur prædictam Ecclesiam sancti Stephani juxta modum, & formam postulationis prædictorum Parochianorum superscriptæ concesserunt, & contulerunt fratri Percivallo Priori provinciali fratrum Servorum Beatæ Mariæ ordinis sancti Augustini, & fratri Henrico Teotonico de ipso ordine recipientibus nomine, ac vice ipsius ordinis sub infrascriptis conditionibus: videlicet quod prædicti fratres, seu ordo non debeant, nec possint alicui personæ, collegio, vel universitati dare, concedere, transmutare, vel alienare, neque ipsam Ecclesiam alteri ordini subicere, nec aliquid de rebus, & bonis immobilibus, seu juribus ipsius Ecclesie sancti Stephani sine licentia, consensu, & auctoritate prædictorum Archidiaconi, & capituli Alexandriae facere; de rebus autem mobilibus faciant ad voluntatem suam. Et si contrafecerint, vel factum fuerit non valeat, nec teneat ipso jure exceptis casibus eisdem fratribus a jure concessis. Item

quod conventus, & fratres ipsius ordinis, qui pro temporibus habitabunt, seu fuerint apud ipsam Ecclesiam, debeant, teneantur, & velint præstare, & facere reverentiam, & honorem jure Parochiæ prædictis Archidiacono, & capitulo, & ab ipso Archidiacono curam animarum ille, qui Prior electus fuerit, in ipsa Ecclesia prædictorum fratrum petere, & recipere pro se, & successoribus suis durante Priore generali dicti Ordinis: quo Priore generali sublato, & sublato Priore dicti conventus Prior subsequens in ipso conventu teneatur ipsam curam petere, & recipere, qua cura petita, & obtenta, vel non ipso facto ipse Prior possit, & ei licitum sit curam ipsius Parochiæ effectualiter gerere, & exercere. Item quod prædicti Fratres, & Prior, qui pro tempore ibi fuerint, habita animarum cura ab ipso D. Archidiacono, & capitulo Ecclesie prædictæ, qui modo est, & pro tempore fuerit in ipsa majori Ecclesia, seu ab Episcopo si ibidem esset, teneantur, & debeant jure Parochiæ servire ipsi Ecclesie continue, & Parochianis ejusdem, & omnia alia facere tam in vivis, quam in exequiis defunctorum, & in eundo ad ægros, & mortuos, & omnibus aliis, quæ jus, & cura ipsius Ecclesie exigat, & requirit. Item quod ipsi fratres sive tres, vel duo ex ipsis fratribus de ipso conventu singulis annis in perpetuum venire debeant, stare, & interesse ad majorem Ecclesiam Alexandriae pro divino officio faciendo in solemnitatibus, videlicet in Sabbato sancto, in Sabbato Pentecostes, & in vigiliis ad vespas, & in festo ad missam, & vespas sancti Petri, & non se remove, donec officium dictum fuerit absque licentia Archidiaconi, vel Archipresbiteri. Et si contrafactum fuerit, & non venerint, & steterint, ut sup. solvant dicti fratres, & conventus eorum, & solvere debeant, & dare teneantur dicto capitulo pro qualibet vice, qua non observaverint ut sup., libram unam cereæ. Item quod prædicti fratres, seu ordo prædictus, vel aliqua alia persona pro ipso ordine, aut pro ipso conventu fratrum, qui apud ipsam Ecclesiam sancti Stephani essent pro temporibus, & starent, non possint, nec debeant, nec eis licitum sit impetrare aliquod rescriptum, vel literas, seu indulgentiam contra prædicta, vel aliquod prædictorum, & quod non utantur, nec uti possint, seu debeant aliquo rescripto, vel literis impetratis, vel impetrandis ab ipsis fratribus, seu ordine prædicto, quo, seu quibus aliquid prædictorum minui, differri, vel transmutari possit aliquo modo, vel casu. Quæ omnia, & singula prædicti fratres Percivallus, & Henricus dicti ordinis suo nomine, & nomine successorum suorum, & dicti ordinis voluerunt, & ratificaverunt, & approbaverunt, rata, firma, atque grata habuerunt. Promittendo prædicto D. Archidiacono stipulanti, & recipienti suo nomine, & ipsius capituli, & Ecclesie majoris Alexandriae perpetuo rata, & firma habere, & tenere, attendere, & observare, & adimplere in totum, & cum effectu omnia, & singula prædicta in unoquoque capitulo, atque casu, & specialiter, quod non impetrabunt aliquod rescriptum, sive literas, nec utentur impetratis, quo, seu quibus veniant, seu veniri possint contra